



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Rejiciuntur omnes illæ sententiæ, & communis ac vera statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

sacramentalem sub speciebus panis & vini, soli Verbo convenire, non verò Patri, aut Spiritui sancto.

- 17 Hanc questionem puto de nomine. Omnes enim conveniunt, Patrem & Spiritum sanctum esse quodam modo speciali in Eucharistia, quo non sunt in cæteris rebus creatis, tum quia simul cum Filio assistent ibi ad operandos effectus mirabiles gratiæ: tum etiam, quia Pater & Spiritus sanctus speciali quodam modo existunt in Filio, propter divinarum personarum inseparabilitatem, & mutuam uniti in altera existentiam, quam Græci *ὑπερσυνέστω*, Latini *Circuminsessionem* appellant. Unde si per impossibile Pater & Spiritus sanctus, ratione immensitatis, non essent in omnibus rebus creatis, tamen hoc duplici titulo essent in Eucharistia Sacramento. In hoc, ut dixi, omnes conveniunt, quare ad hoc solum difficultas devolvitur, an præsentia illa specialis, quam Pater & Spiritus sanctus habent in Eucharistia, sufficiat ad concomitantiam sacramentalem? Hoc enim affirmant Suarez, Vazquez, & alii recentiores, negant verò Thomistæ, existimantes ad hoc ut per concomitantiam sit aliquid in hoc Sacramento, requiri, ut in unitate suppositi uniatur cum termino primario & formali conversionis, & cum illo constituat vel pertineat ad idem suppositum: propter hoc enim vestimenta Christi quando ipse consecravit, non continebantur per concomitantiam in hoc Sacramento, bene tamen ejus Divinitas, & anima, & accidentia. Unde cum Pater & Spiritus sanctus non uniatur hoc modo cum corpore & sanguine Christi, non continentur in Eucharistia per concomitantiam sacramentalem. Et hic modus dicendi & loquendi videtur magis proprius, & Concilio Tridentino magis consonus: idè enim Concilium dixit, Divinitatem esse in Sacramento per concomitantiam, quia est unita hypostaticè cum corpore & anima Christi. Ergo fundat concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini in unionem hypostaticam, quam habent Verbum & Divinitas cum humanitate, non verò Pater, aut Spiritus sanctus. Quare idem Concilium enumerans omnia, quæ in hoc Sacramento tam ex vi Sacramenti, quam per concomitantiam continentur, nullam facit mentionem Patris aut Spiritus sancti. Quod argumentum, licet sit negativum, in re tamen adeò gravi magni debet esse ponderis & momenti, alioquin Concilium diminutè processisset. Nec valet, si dicas, Concilium etiam personæ Verbi non fecisse mentionem. Ad hoc enim supra respondimus, sufficienter illam insinuas, cum assignans rationem hujus concomitantiae, ait esse unionem hypostaticam, quæ primariò est ad Verbum, & nullo modo ad Patrem, vel Spiritum sanctum. Unde sicut connexio, quam mediâ naturâ divinâ Pater & Spiritus sanctus habent cum personâ Verbi, non sufficit ut dicantur mediâ terminare unionem hypostaticam, incarnari, concipi, nasci, mori, &c. Ita nec sufficiens est, ut dicatur esse per concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini.

Id confirmat Martinez de Prado, ex eo quòd Eucharistia non solum habet rationem Sacramenti, sed etiam sacrificii, imò est idem cum sacrificio crucis, solâ offerendi ratione diversâ, ut docet Tridentinum: Sed solus Filius dici potest in altari offerri, & sacrificari, non verò Pater vel Spiritus

sanctus: Ergo pariter solus Filius dici potest in Eucharistia sacramentaliter contineri, non verò Pater, aut Spiritus sanctus.

ARTICULUS II.

An corpus Christi sit in hoc Sacramento sua quantitate, totusque existat sub quacunque parte specierum, etiam ante fractionem, & sub quolibet indivisibili hostia comminuta?

Durandus, Major, & Gabriel probabiliter estimant, Christum esse in hoc Sacramento sine propria quantitate, cum in eo careat conversione partium, quam putant esse de essentia quantitatis. Altiſiodorensis verò lib. 4. summa tract. cap. 4. concedit quidem totum Christi corpus actu in tota hostia indivisâ, dicit tamen non esse totum in singulis partibus, etiam separatim sensibilibus, atque divisionem earum à toto, nullam potentia, quæ reducitur ad actum (inquunt) per divisionem, non tanquam per causam, sed tanquam per conditionem, sine qua non ad eum modum quo tota imago Petri in singulis partibus spectat ante ejus fractionem potentialiter solum existat, sit actualiter existens sub illis, divisione specialis factâ. Eadem sententia tribuitur Alberto Magno in 4. dist. 13. art. 11. sed immeritò, ut constat ex resp. ad 2. ubi admittit, eodem modo Christum esse in forma coelestrata, figuratam in corpore, tota in toto, & tota sub quavis parte. Alensis autem negavit totum Christi corpus contineri sub illis particulis hostiæ, quæ separata à toto non essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis. Denique quoad indivisibilitatem continuativam, quam terminativa hostiæ, sicutus, Richardus, Agidius, & Vazquez, negant totum Christi corpus sub illis existere.

§. 1.

Rejiciuntur omnes illæ sententiæ, & commenta ac vera statuitur.

Dico primò: Corpus Christi est in Sacramento Eucharistiæ cum sua quantitate. Probatur primò: idè ex Tridentino sess. 13. cap. 3. Corpus Christi est in Sacramento Eucharistiæ cum sua anima & sua Divinitate, quia hæc habent connexionem realem cum suo corpore. Sed etiam quantitas corporis Christi, realem habet cum eo connexionem: Ergo corpus Christi est in Sacramento Eucharistiæ cum sua quantitate.

Probatur secundò: Si corpus Christi esset in Eucharistia sine sua quantitate, existeret ibi absque ordine, decore, & recta dispositione membrorum, confusum & monstruosum: pulcherrimum enim corporis non est sine quantitate, cum supponat figuram, quæ est terminus quantitatis: Similiter sublatâ quantitate, nec ordo partium, nec partes supersunt: Consequens autem admittitur, videtur indecens: Ergo &c.

Dico secundò: Corpus Christi in Eucharistia existit totum & actu, sub singulis partibus sensibilibus hostiæ, non solum separatim, sed etiam conjunctis.

Prima pars hujus conclusionis, quòd scilicet

corpus Christi in Eucharistia sit totum & actu sub partibus sensibilibus hostiæ inter se divisis, est certa de fide, ac definita in Florentino in decreto unionis, & in Tridentino sess. 13. can. 3. & constat ex facto Christi, qui consecrato calice Lucæ 22. dedit Discipulis, dicens: *Accipite & dividite inter vos*, quod necessariò supponit in singulis speciebus separatis fuisse totum Christum; alioqui singuli partem calicis sumentes, non totum Christum sumpissent.

22 Secunda verò, quæ asserit totum Christi corpus sub singulis partibus hostiæ conjunctis, actu existere, probatur primò. Eo modo corpus Christi est sub singulis partibus sensibilibus hostiæ consecrata, ante divisionem, quo substantia panis ante consecrationem erat sub illis: Sed ante consecrationem substantia panis erat tota & actu in singulis partibus hostiæ. Ergo Christi corpus similiter sub eis facta consecratione existit. Minor est certa, in hoc enim consistit ratio essentialis substantiæ homogeneæ, qualis est substantia panis, quòd sit actu tota in toto, & tota in singulis partibus, etiam nondum divisis. Major verò probatur: Cum Christus existat in Eucharistia, per conversionem substantiæ panis in ipsum, succedit loco ejus in munere & officio. Ergo debet habere eum modum præsentia & existentia sub quantitate, aliisque panis accidentibus, quem substantia panis ante consecrationem sub illis habebat.

23 Probatur secundò eadem pars: Facta speciebus consecratarum divisione, totum Christi corpus continetur actu sub qualibet parte sensibili & divisa hostiæ, ut fides docet: Ergo & ante divisionem. Consequentia probatur, quia sola fractio & divisio specierum, non mutat consecrationem, nec valet ponere Christi corpus ubi antea non erat.

24 Si dicas cum Alisiodorensi, specierum divisionem esse conditionem sine qua totum Christi corpus non existit actu sub singulis partibus earum, sicut fractio speculi est conditio sine qua imago Petri non existit actu in qualibet parte ipsius. Ne go paritatem: Rationem disparitatis dat D. Thomas hic art. 3. in corp. quòd cum ratio imaginis in speculo repræsentata, proveniat ex reverberatione superficiæ speculi, tanquam à causa; quæ admodum fracto speculo fiunt diversæ superficies partium, ita & diversæ reflexiones sive reverberationes earum, atq; adeò plures actu imagines: at verò ratio existentia actualis corporis Christi sub speciebus panis, cum à sola consecratione tanquam à causa proveniat; sicut divisio specierum illarum non variat consecrationem, ita nec præsentiam actualem quam corpus Christi sub illis habebat ante divisionem.

25 Probatur tertio: Signatà quartà parte v. g. hostiæ consecrata & nondum divisa, quero: aut in illa quartà parte est aliquid corporis Christi, vel nihil? Si nihil, sequitur primò quòd illa pars non sit consecrata, secundò quòd neq; etià in aliis partibus hostiæ sit aliquid corporis Christi; cum non sit major ratio de ipsis, quam de illa quartà parte signatà, & sic nihil Corporis Christi erit in tota hostia, quia nihil potest esse in toto, nisi sit in partibus ejus. Quòd si dicatur, aliquid corporis Christi esse sub illa quartà parte hostiæ non divisa: vel in ea est totum, & sic habemus intentum; vel aliqua pars ejus, v. g. quartà pars; & tunc sequitur quòd corpus Christi sit in Eucharistia, commenturativè, & circumscriptivè, quòd tamen est falsum; quia quòd est majus in quantitate,

Tom. V.

non potest contineri adæquatè & circumscriptivè à minori: quantitas autem quartæ partis corporis Christi, longè major est quantitate quartæ partis hostiæ.

Dico tertio, totum Christi corpus contineri sub illis particulis hostiæ, quæ separata à toto essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis.

26 Probatur primò ex fundamentis jam statutis: Sub partibus minimis hostiæ, quæ essent insensibiles, si separarentur à toto, sub illis, inquam, ut toti hostiæ conjunctis, conservabatur actu ante consecrationem tota natura & substantia panis: Ergo sub eis est etiam actu totus Christus, facta consecratione. Consequentia patet, nam totum corpus Christi est actu in Eucharistia, ubicumq; antea erat actu tota substantia panis. Antecedens autem à nemine negatur, quia licet illæ particulae à suo toto separatae, essent insensibiles, & consequenter substantia panis sub eis non remaneret suotamen toti conjunctæ, sunt sensibiles, in quantum scilicet component partes majores quæ sunt intra sphaeram activitatis sensuum.

27 Probatur secundò: Si totum Christi corpus non sit actu sub qualibet particula hostiæ, etiam minimà, & ex se præcise sensibus imperceptibili, sequitur totum Christi corpus non esse actu etià in tota hostia; si enim sit actu & totum in aliqua parte minima, cum non sit major ratio de illa, quam de alia etiam minima sibi conjuncta, non erit etiam in ista, & ita de omnibus aliis: Ergo nec in partibus majoribus, utpote quæ componentur solum ex illis minimis, ut unitis: Ergo nec erit actu totum in tota hostia, quia, ut jam dixi, impossibile est quòd aliquid sit totum in toto, & non sit in partibus.

Dico quartò: Corpus Christi totum contineri sub quolibet indivisibili hostiæ consecrata, tam continuativo, quam terminativo.

28 Probatur breviter: Ante consecrationem substantia panis, vel saltem aliquid ipsius, erat sub quolibet indivisibili suæ quantitatis: Ergo cum ex una parte aliquid corporis Christi non possit esse sub illis indivisibilibus, quin totum sub eis existat, quia ponitur in Sacramento modo indivisibili, ex alia verò succedat substantiæ panis in modo essendi sub speciebus consecratis; debet totum sub cunctis indivisibilibus contineri. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Quodlibet indivisibile quantitatis est accedens, atque adeò substantiæ panis inhæret: Ergo aliquid substantiæ panis existit sub eis ante consecrationem.

29 Confirmatur: Vel singulis indivisibilibus hostiæ consecratae correspondebat ante consecrationem aliquid de substantia panis, vel nihil? Si nihil: Ergo substantia panis erat sub sua quantitate discontinua & divisa, & consequenter substantia corporis Christi pani succedens, erit similiter sub quantitate panis discontinua & divisa, quòd est absurdum. Si verò aliquid de substantia panis ante consecrationem correspondebat indivisibilibus suæ quantitatis, quòdcumque illud sit, sive indivisibile substantiæ suæ, sive pars ejus dicatur, sequitur indivisibile corporis Christi, pani succedentis, existere sub indivisibili quantitatis panis quæ remanet, & consequenter totum etiam Christi corpus, utpote cum sub quantitate hostiæ indivisibiliter existat, ad modum substantiæ spiritalis.